

**S**osann Sigmund  
vorletztes Jahr.

Bin ich gewandt allein  
haben Heut in Gottes  
Namen. Allein Anfang und  
Ende sagt all in Gottes  
Dien. Für Leben in weiß  
niß willungen. Für Arbeit  
in weiß in weiß. Für folgen  
und weiß Gottes in  
weiß und nicht daß in weiß  
weiß bin.

Anno 1697

20. März:

Constanz nicht  
3. 7. 97.

**Sammelband**

**Fdß 50.**

4  
LOCI COMMUNES SENTENTI.

OSORVM VERSVVM EX ELE-  
*gijs Tibulli, Propertij &  
Ouidij.*

A IOHANNNE MVR-  
*mellio diligenter collecti.*



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM,  
IN OFFICINA IOHANNIS  
EICHORNI.

*pld 492*

IOHANNES MVR-  
mellius puero bonarum ar-  
tium studioso.

**E**N tibi de tetrīs selectum sordibus aurum,  
    Vt nitido fias ditior eloquio.  
En tibi de rigidis secreta rosaria spinis,  
    Vt citra uulnus florea ferta pares.  
En tibi ne noceant incauto gramina ponti,  
    Prompta uides studijs optima quæq; tuis.  
Qui Veneris numeros et crotica carmina ludunt,  
    Abdita sub dulci melle uenena serunt.  
Hos puer euites, moneo, ne blanda uoluptas  
    Te miserum cogat turpia ferre iuga.  
Inde tamen sectos securo pectore uersus  
    Eac dicas, quos dat nostra Minerva tibi.

1945 9 9 81



**Q**UONIAM meminimus, gentiles  
et lubricos Poetas non esse iuuen-  
tuti tradendos, ne cum paleis ipso  
etiam grano priuētur, operæ pre-  
tium erit, selectas et utiles quasque  
sententias ab uniuersis quantumuis aliōqui impu-  
dicas, à ludimagistro examussum et solerter extra-  
ctum iri, quibus pro facetijs, pro moribus, pro ma-  
iori rerum experientia, pro quotidianis prouer-  
bijs, pro solatio, pro multorum applicatione nego-  
ciorum, pro aliarum literarū intelligentia, scho-  
lastici uti possint, Quales sunt ex Nasone: Niti-  
mur in uetitū semper cupimusque negata. Turpius  
eijcitur etc. Principijs obsta, sero medicina para-  
tur. Ocia si tollas periēre Cupidinis arcus. Quod  
caret alterna requie durabile non est. His enim et  
consimilibus Poetarum floribus non solum Chri-  
stiani et Theologi in suis scriptis usi sunt, sed et  
sacratissimarū legum glossæ passim resperse sunt  
eis. Perquirantur ergo in Nasone, ceterisque. Qui  
enim è nuce nucleum esse uult fran-  
gat nucem.

Ex Isidoneo germanico Iacobi Vuimphelin-  
gij, de floribus Poetarum, Ca-  
pite 3.

A 2

Albij

ALBII TIBULLI EQVITIS RO-  
mani uersus selecti, ex primo libro  
Elegiarum.

Sis modicis contentus, opum & magi-  
stratum contemptor.

**D**iuicias alius fuluo sibi congerat auro,  
Et tencat culti iugera magna soli.  
Quē labor assiduus uicino terreat hoste,  
Martia cui somnos classica pulsa fugent,  
Me mea paupertas uitæ traducat inerti,  
Dum meus assiduo luceat igne focus.  
Exiguus nihil est detrahendum.  
At uos exiguo pecori furesq; lupiq;  
Parcite de magno est præda petenda grege.  
Tempore omniâ peraguntur.  
Longa dies homini docuit parere Leones,  
Longa dies molli saxa peredit aqua.  
Annus in apricis maturat collibus unas,  
Annus agit certa lucida signa uice.  
Tempus iuuentutis non est terendum.  
At si tardus eris, errabis, transiet ætas  
Quam citò, non segnis stat remcatq; dies.  
Quem citò purpureos deperdit terra, colores,  
Quam citò formosas populus alta comas.  
Quam iacet infirmæ uenère ubi fata senectæ,  
Qui prior Eleo est carcere missus equus.

Vidi

Vidi iam iuuenem premeret cum serior ætas,  
Mœrentem stultos præteriisse dies.  
Beneficio carminum homo fit immortalis.  
Carmine purpurca est Nisi coma, carmina ni sint,  
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.  
Quem referunt Musæ, uiuet dum robora tellus,  
Dum cœlum stellas, dum uehet annis aquas.  
Laudes vini decantantur.

Ille liquor docuit uoces inflectere cantu,  
Mouit & ad certos nescia membra modos.  
Bacchus & agricolæ magno confecta labore,  
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.  
Bacchus & adflictis requiem mortalibus adfert,  
Crura licet dura compede pulsa sonent.  
Utendum est florida ætate.

At tu dum primi floret tibi temporis ætas  
Utere, non tardo labitur illa pede.  
Periurium pœna manet.

Ah miser & si quis primo periuria celat,  
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Lucri cupiditas, multos laboribus & pe-  
riculis exponit.

Lucra petens habili tauros adiungit aratro,  
Et durum terræ rusticus urget opus.  
Lucra petituras parentia per freta uentis,  
Ducunt instabiles sydera certa rates.  
Pudicitia non est auro vendenda.

A 3

Admo

Admonui quoties auro ne pollue formam ?  
Sepe solent auro multa subesse mala,  
Ex diuitijs & auro bella sunt exorta.  
Quis fuit horrendos primus qui protulit enses ?  
Quim ferus & uerè ferreus ille fuit.  
Tunc cedes hominum generi tunc praelia nata.  
Tunc breuior diræ mortis aperta uia est.  
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra  
Vertimus, in seuas quod dedit ille feras,  
Diuitis hoc uitium est auri, nec bella fuerunt,  
Faginus astabat quum scyphus ante dapes.  
Non arces, non uallus erat, somnumq; petebat  
Securus uarias dux gregis inter oues.

Furor bellorum pessimus est, meliusq; est  
domi pauperem viuere, quam bellando  
cruentas opes quæritare.

Quis furor est atram bellis accersere mortem ?  
Imminet, & tacito clam uenit illa pede.  
Non seges est infra, non uinea culta, sed audax  
Cerberus & stygiæ nauita puppis aquæ.  
Illic percussisq; genis ustoq; capillo  
Errat ad obscuros pallida turba lacus.  
Quam potius laudandus hic est, què prole parata  
Occupat in parua pigra senecta casa.  
Ipse suas sectatur oues, at filius agnos,  
Et calidum fesso comparat uxor aquam.

Pacis



*Pacis præconia.*

*Interea pax arua colit, pax candida primum  
Duxit araturos sub iuga curua boues.  
Pax aluit uites, & succos condidit uue,  
Funderet ut nato testa paterna merum.  
Pace bidens uomerq; uigent ac tristia duri  
Militis in tenebris occupat arma situs.  
Rusticus è lucoq; uehit malè sobrius ipso,  
Vxorem plauastro, progeniemq; domum.*

*EX SECVNDO LIBRO  
Elegiarum Tibulli.*

*Festis diebus rei diuinæ vacandum est.  
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,  
Et graue suspensio uomere cesset opus.  
Soluite uincla iugis, nunc ad præsepia debent,  
Plena coronato stare boues capite.  
Omnia sunt operata Deo, non audeat ulla  
Lanificam pensis imposuisse manum.*

*Castitas mundiciæq; superis accepta est.  
Casta placent superis pura cum ueste uenite,  
Et manibus puris, sumite fontis aquam.*

*Mala prædæ.*

*Ferrea non Venerem, sed prædam secula laudant,  
Præda tamen multis est operata malis,*

A 4

Præda

*Præda feras acies cinxit discordibus armis,  
Hinc cruor, hinc cædes, mors priorq; uenit.*

*Præda uago iussit geminare pericula ponto,  
Bellica dum dubijs rostra dedit ratibus.*

*Spes commoda.*

*Iam mala finissent letho, sed credula uitam  
Spes fouet, & melius cras fore semper ait.*

*Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis  
Semina, quæ magno fœnore, reddat ager.*

*Hæc laqueo uolucres, hæc captat arundine pisces,  
Cum tenues hamos abdidit ante cibum.*

*Spes etiam ualida solatur compede uinctum,  
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.*

**EX TERTIO LIBRO ELE-  
giarum Tibulli.**

**Opes non leuant nos curis.**

**Non opibus mentes homini curæq; leuantur,  
Nam fortuna sua tempora lege gerit.**

**Nocturna somnia sæpe vanos timores  
inijciunt.**

**Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,  
Et pauidas mentes falsa timere iubent.**

**Fœminæ sunt inconstantes.**

**Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen,**

**Ah pereat, didicit fallere si qua uirum.**

**Blandis verbis homines exorantur.**

**Ergo**

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas,  
Vincuntur molli pectora dura prece.  
Fructus ante maturitatem non sunt car-  
pendi.

Quid fraudare iuuat uitem crescentibus uuis,  
Et modo nata mala uellere poma manu?

Mente contristata simulare gaudium,  
difficile est.

Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa,  
Difficile est tristi fingere mente iocum.  
Nec bene mendaci risus componitur ore,  
Nec bene sollicitis ebria uerba sonant.  
Fœliciter sapit is, qui periculo alieno sapit.  
Vos ego nunc moneo, fœlix quicumq; dolore  
Alterius disces posse carere tuo.

PROPERTII AVRELII  
Nautæ uersus selecti, ex secundo libro  
Elegiarum.

De suis quisq; uerba facit.

Nautæ de uentis, de tauris narrat arator,  
Enumerat miles uulnera, pastor oues.

Amor non est sanabilis.

Omnes humanos sanat medicina dolores,  
Solut amor morbi non amat artificem.

Furor fit, læsa sæpius patientia.

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,  
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.

A 5

Omnia

Omnia mutantur.

Omnia uertuntur, certè uertuntur amores,  
Vinceris, aut uincis, hæc in amore rota est.  
Magni sæpe duces, magni cecidère Tyranni,  
Et Thebæ steterant, altaq; Troia fuit.  
Fœminæ sunt fallaces, variæ & mutabiles.  
Sed uobis facile est uerba & componere fraudes,  
Hoc unum didicit fœmina semper opus.  
Non sic incerto mutantur flumine Syrtes,  
Nec folia hyberno tam tremefacta noto.  
Quàm citò fœminea non constat fœdus in ira,  
Sive ea causa grauis siue ea causa leuis.  
Voluntas sæpe laudanda est, ubi vires desunt.  
Quod si deficiunt uires, audacia certè  
Laus erit, in magnis & uoluisse sat est.  
Nihil infœlicius homine, qui turpi amo-  
re captus est.  
Durius in terris nihil est quod uiuat amante,  
Nec, modo si sapias, quod minus esse uelis.

Figura colorq; naturalis, nemini vitio  
datur.

Vt natura dedit sic omnis recta figura,  
Turpis Romano Belgicus ore color.

Securius est duo habere, quàm vnum.  
Nam melius duo defendunt retinacula nauem,  
Tutius & geminos anxia mater alit.  
Senio & uerustate confecta, quiescunt.

Miles

8 2 1 0 9 10

Miles depositis annosus secubat armis,  
Grandæuiq; negant ducere aratra boues.  
Putris & in uacua requiescit nauis arena,  
Et uetus in templo bellica parma uacat.  
Nihil homini est diuturnum.  
Nec forma eternū, haud cuiq; est fortuna percūis  
Longius aut propius mors sua quenq; manet.  
Mala vini.  
Vino forma perit, uino corrumpitur ætas,  
Vino sepe suum nescit amica uirum.

EX TERTIO LIBRO ELEGIA-  
rum Propertij.

Post obitum maior laus, bonis & do-  
ctis prouenit.

Omnia post obitum fingit maiora uetustas,  
Maius ab exequijs nomen in ora uenit.  
Decus ingenio comparatum, mortem euadit,  
ædificia autem vel maximè sumptuosa,  
ueterusta destruantur.  
Nam neq; pyramidum sumptus ad sidera ducti,  
Nec Iouis Elæi cælum imitata domus.  
Nec Mausolæi diues fortuna sepulchri,  
Mortis ab extrema conditione uacat.  
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,  
Annorum aut ictu pondera uicta ruent.  
At non ingenio, quæsitum nomen ab æuo  
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Cuius

Cuiuscunq; condiciones homines mors  
rapit ad inferos.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,  
Nudus ad infernas stulte uchere rates.

Victor cum uictis pariter miscbitur umbris,

Consule cum Mario capte Iugurtha sedes,

Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro,

Optima mors parca quæ uenit apta die.

Seruorum est munus non mentiri.

Omnis enim debet sine uano nuncius esse,

Maioremq; timens seruus habere fidem.

Mala auaritiæ.

Ergo sollicita tu causa pecunia uitæ es,

Per te immaturam mortis adimus iter.

Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes,

Semina curarum de capite orta tuo.

In nautas & mercatores, periculis maris se  
ob auaritiam exponentes.

Iterates curue & lethi quoq; texite causas,

Ista per humanas mors uenit acta manus.

Terra parum fuerat, terris adiecimus undas,

Fortunæ miseras auximus arte uias.

Ancora te teneat, quem non tenuère penates,

Quid meritum dicas cui sua terra parum est?

Ventorum est quodcunq; paras, haud ulla carina

Consenuit, fallit portus & ipse fidem.

Natura

Natura insidians pontum substravit auaris,  
Vt tibi succedat uix semel esse potest.  
Onus cui impar sis, ne subiueris.  
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus:  
Et pessum inflexo, mox dare terga genu.  
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,  
Fama nec ex æquo ducitur ulla iugo.  
Varias hominibus dotes natura distribuit.  
Sunt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,  
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.  
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,  
Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Experientia, est prouidentiaë magistra.  
Venturam melius præfagit nauita mortem,  
Vulneribus didicit miles habere metum.  
Aurum nunc in terris dominatur.  
Aurum omnes uicta iam pietate colunt.  
Auro pulsa fides, auro uenalia iura,  
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Mors est ineuitabilis.  
Sed tamen hoc omnes, huc primus et ultimus ordo  
Est mala, sed cunctis ista terenda uia est.  
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,  
Scandenda est torui publica cymba senis.  
Ille licet ferro cautus se cordat & ære,  
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Nerea

Nerea non facies, non uis exemit Achillem,  
Croesum aut Pactoli, quas parit humer opes.

EX QVARTO LIBRO ELE-  
giarum Propertij.

Iusta causa virtutem militis promouet,  
iniusta deprimat.

Frangit et attollit uires in milite causa,  
Que nisi iusta subest, excutit arma pudor.  
Ab infernis non licet quenquam reuocare.  
Panditur ad nullas ianua nigra preces.  
Cum semel infernas intrarunt funera leges,  
Non exorato stant Adamante uie.

PVBLI OVIDII NASONIS  
Versus selecti ex unico libro episto-  
larum Heroidum.

In decipitores puellarum.

Fallere credentem non est operosa puellam  
Gloria, simplicitas digna fauore fuit.

Facta à fine, non ab euentu sunt vel pro-  
banda, vel improbanda.

Exitus acta probat, careat successibus opto,  
Quisquis ab euentu facta notanda putat.  
Impræta delibare iucundum est.

Est aliquid plenis pomaria carpere ramis,  
Et tenui primam deligere ungue rosam.  
In leuitatem nimij cultus.

Sint



*Sint procul à nobis iuvenes ut foemina compti,*

*Fine coli modico forma uirilis amat.*

*Interdum requiescendum est.*

*Quod caret alterna requie durabile non est,*

*Hec reparat vires, fessaq; membra leuat.*

*Quæ merito pateris, facile ferenda sunt.*

*Leniter ex merito quicquid patiare ferendū est,*

*Quæ uenit indignè pœna, dolenda uenit.*

*Cygnus vicina morte solito dulcius canit.*

*Sic ubi fata uocant, udis abiectus in herbis,*

*Ad uada Meandri concimit albus olor.*

*Coniugium inæqualium malum est.*

*Quàm malè inæquales ueniunt ad aratra iuueni,*

*Tam premitur magno coniuge nupta minor.*

*Non honor est, sed onus species læsura ferentes,*

*Si qua uoles aptè nubere, nube pari.*

*Exprobratio immemoris beneficii iuuat.*

*Est aliqua ingrato meritū exprobrare uoluptas,*

*Hac fruar, hæc de te gaudia sola feram.*

*Aliena ne cupis.*

*Disce meo exemplo formosis posse carere,*

*Est uirtus placitis abstinuisse bonis.*

*Sero uenis ad id, quod alter occupauit.*

*Ad possessa uenis præreptaq; gaudia serus,*

*Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.*

*Principio obsceni amoris fortiter resi-*

*stendum est.*

*Dum*

Dum nouus est cœpto potius pugnemus amori,  
Flamma recens parua sparsa resedit aqua.  
In hospitibus & externis non est amo-  
ris constantia.

Certus in hospitibus non est amor, errat ut ipsi,  
Cumq; nihil speres firmitus esse fugit.  
Periculosum est se aquis credere.

Arte laboratæ merguntur in æquore puppes,  
Tu tua plus remis brachia posse putas.

Adulterium non est committendum.  
Elige de uacuis quam non sibi uendicet alter,  
Si nescis, dominum res habet ista suum.

Deus non mactata pecude, sed fide & iustis  
operibus placatur.

Non boue mactato cœlestia raminâ gaudent,  
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.  
Quod formæ deest, ingenio compensa.  
Si mihi difficilis formam natura negauit,  
Ingenio formæ damna rependo meæ.

EX I. LIBRO ELEGIARVM  
siue amorum Ouidij.

Leue fit, quod benè fertur onus.  
Vidi ego iactatas mota face crescere flammâs,  
Et uidi nullo concutiente mori.  
Verbera plura ferūt, quàm quos iuuat usus aratri,  
Detrectant pressi dum iuga prima boue s,

Asper

*Asper equus duris contunditur ora lupatis,  
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.  
In bello portæ clauduntur, pacis verò  
tempore aperiendæ sunt.*

*Urbibus obsessis, clausæ munimina portæ  
Profunt, in media pace quid arma times?  
Nox amor & vinum turpia suadent.  
Nox & amor uinumq; nihil moderabile suadent,  
Illa pudore uacat, Liber amorq; metu.  
Tempus celerrimè aufugit.*

*Labitur occultè fallitq; uolatilis ætas,  
Et celer admissis labitur annus equis.  
Vnus rei prodest, negligentia obest.  
Ære nitent usu, uestis bona querit haberi.  
Canescunt turpi tecta relicta situ.*

*E multis facilior est rapina.  
Certior è multis, nec tam inuidiosa rapina est,  
Præda uenit canis de grege plena lupis.  
Ira non diuturna.  
Sed nunquam dederis spaciosum tempus in iram,  
Sepe similitates ira morata facit.*

*Luxuria cum omni ætati turpis, tum sene-  
Eturi fœdissima est.  
Quæ bello est habilis, Veneri quoq; conuenit ætas  
Turpe senex miles, turpe senilis amor.  
Soporatos & inermes, facile est op-  
primere.*

B

Sepe

Sæpe soporatos inuadere profuit hostes,  
Cedere & armata uulgius inermis manus.

De turpi quaestu.

Non bene conducti uendunt periuria testes,  
Non bene selecti iudicis arca patet.  
Turpe reos empti miseris defendere lingua,  
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.  
Turpe tibi reditu census augere paternos,  
Et faciem lucro prostituisse suam.

Vbi copia rerum, inde excipiantur  
Carpite de plenis pendentes uitibus uuas,  
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.  
Fama carminibus acquisita, est immortalis.  
Scinduntur uestes, gemmae franguntur & aurum,  
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

De Poetarum immortalitate, & laude car-  
minum.

Viuet Mæonides, Tenedos dum stabit & Ida,  
Dum rapidas Simois in mare uoluet aquas.  
Viuet & Ascreus, dum mustis uua tumebit,  
Dum cadet incurua falce resecta seges.  
Battiades toto semper cantabitur orbe,  
Quamuis ingenio non ualet, arte ualet.  
Nulla Sophocleo ueniet iactura cothurno.  
Cum Sole, & Luna semper Aratus erit.  
Dum fallax seruus, durus pater, improba lena  
Vixerit, & meretrix blanda, Menandros erit.

Ennius

Ennius arte carens, animosiq; Accius oris  
Casurum nullo tempore nomen habent.  
Varronem primamq; ratem quæ nesciet ætas?  
Aureaq; Æsonio terga petita duci?  
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,  
Exitio terras cum dabit una dies.  
Tityrus & segetes Æneiaq; arma legentur,  
Roma triumphati dum caput orbis erit.  
Donec erunt ignes arcusq; Cupidinis arma,  
Dicentur numeri culte Tibulle tui.  
Gallus & Hesperijs, & Gallus notus Eois,  
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.  
Ergo cum silices, cum dens patientis aratri  
Depereant æuo, carmina morte carent.  
Cedant carminibus Reges, Regumq; triumpho,  
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.  
Vilia miretur uulgus, mihi flauus Apollo,  
Pocula Castalia plena ministret aqua.  
Post mortem cessat inuidia.  
Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,  
Tunc suus ex merito quæq; tuctur honor.

EX SECVNDO ELEGIARVM  
siue amorum Ouidij.

Contra proditores secretorum.  
Aspicias indicibus nexas per colla catenas,  
Squallidus orba fide pectora carcer habet.

B 2

Queris

Querit aquas in aquis, & poma fugacia captat  
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

In delatores.

Culpa nec ex facili quamuis manifesta probatur,  
Iudicis illa sui tuta fauore uenit.

Bona citius, quam mala absumuntur.

Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris,  
Implentur numeris deteriora suis.

De cupiditate venatoris.

Venator sequitur fugientia, capta relinquit  
Semper, & inuentis ulteriora petit.

Somnolentia est vitanda.

Infœlix tota quicumq; quiescere nocte  
sustinet, & somnos præmia magna uocat.  
Stulte quid est somnus? gelidæ nisi mortis imago,  
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Ne id alicui præstes, quo abundat.

Quid folia arboribus? quid pleno sidera cœlo?  
In freta collectas alta quid addis aquas?

De periculis nautarum.

Sero respicitur tellus, ubi fune soluto,  
Currit in immensum panda carina salum.  
Nauita sollicitus iam uentos horret iniquos,  
Et prope tam lethum, quam prope cernit aquã.

Fœtus ante maturitatem non sunt collendi.

Quid plenam fraudas uitem crescentibus uuis,  
Pomaq; crudeli uellis acerbis manu?

Sponte

Sponte fluentem matura sua, sine crescere nata,  
Est precium tardæ non leue uita moræ.  
In puellis non est fides.  
Verba puellarum folijs leuiora caducis,  
Irritaq; ut uisum est uentus & aura ferunt.

EX III. LIBRO ELEGIARVM  
sive amorum Ouidij.

Contra nimium seueritatem in custo-  
dienda vxore.  
Cui peccare licet, peccat minus ipsa potestas  
Semina nequitie languidiora facit,  
Verita magis appetimus.  
Vidi ego nuper equum contra sua frena tenacem,  
Ore reluctanti fulminis ire modo.  
Constitit, ut primum concessas sensit habenas,  
Frenaq; in effusa laxa iacere iuba.  
Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata,  
Sic inter dictis imminet æger aquis.  
Quæ seruantur, ea magis appetuntur.  
Quicquid seruatur, cupimus magis, ipsaq; furem  
Præda uocat, pauci quod finit alter amant.  
De incantamentis.  
Carmine lesa Ceres sterilem uanescit in herbam,  
Deficiunt lesi carmine fontis aquæ.  
Ilicibus glandes, cantataq; uitibus uua  
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Nec surdos cantus, nec cecos pictura  
delectat.

Quid uat ad surdas sic cantet Phincus aures?  
Quid miserum Thamyrim picta tabella iuuat?  
Olim scientia fuit cara.

Ingenium quondam fuerat preciosius auro,  
At nunc barbaries grandis habere nihil.  
Pecunia est hominum regina.

Eruimus terra solidum pro frugibus aurum,  
Possidet inuentas sanguine miles opes.  
Cura pauperibus clausa est, dat census honores,  
Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Poetae sacri & diuini vocantur, mors ta-  
men eis minime parcit.

At sacri uates, & diuini cura uocamur,  
Sunt etiam qui nos numen habere putent.  
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,  
Omnibus obscuras inijcit illa manus.  
Cohortatio ad patientiam.

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim,  
Sepe tulit lassus succus amarus opem.  
Multa mentiuntur Poetae.

Exit in immensum fecunda licentia Vatum,  
Oligat Historica nec sua uerba fide.  
In eos, qui se peccasse gloriose praed-  
dicant.

Quis furor est, quae nocte latent, in luce fateri,  
Et quae clam facias, facta referre palam?

Ignote



Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti,  
Opposita populum submouet ante sera.

EX PRIMO LIBRO OVIDII  
de arte amandi.

Præceptori discipulus obediat.

Phyllirides puerum citharæ præfecit Achillem,  
Atq; animos molli contudit arte feros,  
Qui toties socios, toties exterruit hostes,  
Credetur annosum pertimuisse senem.

Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,  
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Loci opportunitas est obseruanda.

Scit bene uenator, ceruis ubi retia tendat,  
Scit bene qua frendens ualle moretur aper.  
Aucupibus noti frutices, qui sustinet hamos,  
Novit que multo pisce natentur aquæ.

Laudes vini.

Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos,  
Cura fugit multo diluiturq; mero.

Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit,  
Tunc dolor et cura rugaq; frontis abit.

Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro  
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Noctè fallitur iudicium.

Noctè latent mendæ, uitioq; ignoscitur omni,  
Horaq; formosam quam libet illa facit.

Consule de gemmis, de timēta murice lana,  
Consule de facie corporibusq; diem.

Nemo sua sorte contentus est.

Fertilior seges est alienis semper in agris,  
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Principium damni vitandum.

Non avis utiliter uiscatis effugit alis,

Non bene de laxis cassibus exit aper.

Saucius arrepto piscis retinetur ab hamo.

Tempus est obseruandum.

Nec semper credenda Ceres fallacibus aruis,

Nec semper uiridi concaua puppis aquae.

Precibus homines & Diij exorantur.

Hectora donauit Priamo prece motus Achilles,

Flectitur iratus uoce rogante Deus.

In detestationem aleae.

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,

Et reuocat cupidas alea saepe manus.

Non solum iuris, sed bonarum etiam artium  
studijs vacandum.

Disce bonas artes (moneo) Romana iuuentus,

Non tantum trepidos ut tucare reos.

Tempore omnia fiunt leuiora.

Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuenti,

Tempore lenta pati frena docentur equi.

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,

Interit assidua uomer aduncus humo.

Quid

Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?  
Dura tamen molli saxa: cauantur aqua.

Mundiciem corporis mediocremq; cul-  
tum ama.

Mundiciæ placeant, fuscentur corpora campo,  
Sit benè conueniens, & sine labe toga.  
Linguaq; nec rigeat, carcant rubigine dentes,  
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.  
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos,  
Sit coma sit docta barbæ secta manu.  
Et nihil emineat, sint & sine sordibus ungues,  
Inq; caua nullus stet tibi mare pilus.  
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,  
Nec lædat nares uirq; paterq; gregis.

Quod multi faciunt, non continuo  
bonum est.

Tuta frequensq; uia est per amici fallere nomen,  
Tuta frequensq; licet sit uia, crimen habet.  
In ebrietatem.

Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,  
Officium præstent mensq; pedesq; suum.  
Iurgia præcipuè uino simulata caueto.  
Et nimium faciles ad fera bella manus.  
Occidit Eurytion stultè data uina bibendo,  
Aptior est dulci mensa merumq; ioco.

Ne sis difficilis & duræ ceruicis.

B 5

Si

Si uox est cantata, si mollia brachia salta,  
Et quacunq; potes arte placere, place.  
Laude & obsequio vincuntur homines.  
Laudatas ostendit auis Iunonia pennas,  
Si tacitus spectes, illa recondit opes.  
Quadrupedes inter rapidi certamina cursus,  
Depexæq; iubæ plausaq; colla iuuant.  
Deus colendus est, & à peccatis abstinendum.  
Expedit esse Deos & ut expedit esse putemus,  
Dentur in antiquos thura merumq; focos.  
Nec secura quies illos, similisq; sopori  
Detinet, innocui uiuite, numen adest.  
Reddite depositum, pietas sua foedera seruet,  
Fraus absit, uacuas cædis habete manus.  
Multis candidus color, vitio datur.  
Candidus in nauta turpis color, æquoris unda,  
Debet & à radijs syderis esse niger,  
Turpis & agricola, qui uomere semper adunco,  
Et grauibus rastris sub ioue uersat humum.  
Et tu palladiæ petitur cui fama coronæ,  
Candida si fuerint corpora, turpis eris.

Contra vigilias & amorem.

Attenuant iuuenum uigilate corpora noctes,  
Curaq; & immenso qui fit amore dolor.  
Solis turpibus homines delectantur.  
Nil nisi turpe iuuat, curæ est sua cuiq; uoluptas.  
Hec quoq; ab alterius grata dolore uenit.

Diuersa

Diuersæ terræ, diuersa producunt.  
Nec tellus eadem parit omnia, uitibus illa  
Conuenit, hæc oleis, hic benè farra uirent.  
Quot capita tot sensus.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figura,  
Qui sapit innumeris moribus aptus erit.

### EX SECVNDO LIBRO

Ouidij, de arte amandi.

Parta sunt conseruanda.

Nec minor est uirtus quàm quærere parta tueri,  
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Aduersa sæpè excitant ingenium.

Ingenium mala sæpe mouent, quis crederet unquã,  
Aëreas hominum carperè posse uias?

Nemo confidat in sua pulchritudine

Ingenij dotes corporis adde bonis.

Forma bonũ fragile est, quantumq; accedit ad an-

Fit minor & spacio carpitur illa suo. (nos

Nec semper uiolæ, nec semper lilia florent

Et riget amissa spina relictæ rosa.

Et tibi iam uenient cani formose capilli,

Iam uenient rugæ quæ tibi corpus arcent.

Iam mollire animum qui duret, & astruc formant.

Solus ad extremos permanet ille rogos.

Nec leuis ingenuus pectus coluisse per artes

Cara sit, & linguas edidicisse duas.

In eandem sententiã.

Ergo

Ergo age fallaci timide confide figuræ,  
Quisquis es, atq; aliquid corpore pluris habe.  
Esto facilis & mansuerus.

Dextera precipue capit indulgentia mentes,  
Asperitas odium seuq; bella mouet.

Odimus accipitrem, quia uiuit semper in armis,  
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.

At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est,  
Quasq; colat turres Chaonis ales habet.  
Contra iracundiam ac rixas.

Este procul lites, & amare prelia lingue,  
Dulcibus est uerbis mollis alendus amor.  
Obsequium amicos parit.

Flectitur obsequio, curuatur ab arbore ramus,  
Franges, si uires experiere tuas.

Obsequio tranantur aquæ, nec uincere possis  
Flumina, si contra quam rapit unda nates.

Obsequium Tigresq; domat, tumidosq; leones  
Rustica paulatim taurus aratra subit.

Carmina laudantur, sed pecunia dili-  
gitur.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur,  
Dum modo sit diues, barbarus ipse placet.

Aurca sunt uere nunc secula, plurimus auro  
Venit honos, auro conciliatur amor.

Ipsè licet uenias Musis comitatus Homere,  
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Autumnus est morbosus.

Sepe

Sæpe sub autumnno cum formosissimus annus,  
Plenaq; purpureo subrubet uua mero.  
Quum modo frigoribus preminur modo soluimur  
Aëre non certo corpora languor habet. (æstu,  
Ex paruis fiunt magna.  
Quem taurum metuis, uitulum mulcere solebas,  
Sub qua nunc recubas arbore, uirga fuit.  
Nascitur exiguus, sed opes acquirit cundo,  
Quasq; uehit multas accipit amnis aquas.  
Prosperis rebus animi luxuriant.  
Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,  
Nec facile est æqua commoda mente pati.  
Amantium iræ, amoris redintegratio est.  
Quæ modo pugnarunt, iungunt sua rostra colūbæ,  
Quarum blanditias uerbaq; murmur habet.  
Exhilera sodales.  
Qui sermone placet, taciturna silentia uitet,  
Qui canit arte canat, qui bibit arte bibat.  
Non semper arridet fortuna.  
Credita non semper sulci cum scœnore reddunt,  
Nec semper dubias adiuuat aura rates.

Silentium laudi, multiloquium uitio  
datur.  
Eximia est uirtus præstare silentia rebus,  
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.  
Quàm benè quòd frustra captatis arbore pennis  
Tantalus in media garrulus aret aqua.  
Tempore res fragiles confirmantur.

Cum

Dum nouus in uiridi coalescit cortice ramus,  
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.  
Mox etiam uentis spacio durata resistit,  
Firmaq; adoptiuas arbor habebit opes.  
Tempore vitam fiunt tollerabilia.  
Eximit ipsa dies omnes de corpore mendas,  
Quodq; fuit uitium desinit esse mora.  
Ferre nouæ nares taurorum terga recusant,  
Assiduè domitas tempore fallit odor.  
In iuuenta laborandum est.  
Dum uires anniq; sinunt tolerate labores,  
Iam ueniet tacito curua senecta pede.  
Aut mare nauigijs, aut uomere scindite terram,  
Aut fera belligeras addite in arma manus.

EX TERTIO LIBRO  
Ouidij, de arte amandi.

In eandem sententiam.

Venturæ memores iam nunc esote senectæ,  
Sic nullum uobis tempus abibit iners.  
Dum licet & ueros etiam nunc editis annos,  
Discite, eunt anni more fluentis aquæ.  
Nec quæ præterijt cursu reuocabitur unda,  
Nec quæ præterijt hora redire potest.  
Utendum est ætate, citò pede labitur ætas,  
Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.  
De fugacitate fortunæ.

Quana



Quam citò (me miserum) laxantur corpora rugis,  
Et perit in nitido qui fuit ore color.

Quod sine tuo damno possis, alteri  
communices.

Quis uetat appposito lumen de lumine sumi?  
Quisue cauum uastas in mare seruat aquas?

Multa cum fiunt turpia, ubi facta  
sunt, placent.

Quae nunc nomen habent operosi signa Myronis,  
Pondus iners quondam duraq; massa fuit.  
Annulus ut fiat, primo colliditur aurum,  
Quas geritis uestes, sordida lana fuit.

De turpibus.

Turpe pecus mutilū, turpis sine gramine campus,  
Et sine fronde frutex, & sine crime caput.

Non semper nauta laborat.

Cum mare compositum est, securus nauita transit,  
Cum tumet auxilijs assidet ille suis.

De malis ludi aleatorii.

Tunc sumus incauti, studioq; aperimur in ipso,  
Nudaq; per lusus pectora nostra patent.  
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,  
Iurgiaq; & rixae sollicitusq; dolor.  
Crimina dicuntur, resonat clangoribus aether,  
Inuocat iratos & sibi quisq; Deos.  
Ignotum non amatur.

Quod

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido,  
Fructus abest facies cum bona teste caret.  
Tu licet & Thamyram superes atq; Orphea.  
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Famam Poetæ appetunt.

Quid petitur sacris nisi tantum fama Poëtis?  
Hoc uotum nostri summa laboris habet.

Cura Ducum fuerant olim Regumq; Poëtæ,  
Præmiaq; antiqui magna tulere chori.

Sanctaq; maiestas & erat uenerabile nomen  
Vatibus, & largæ sepe dabantur opes.

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,  
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Nunc hedere sine honore iacent, operataq; doctis  
Cura nihil Musis nomen inertis habet.

Sed famam uigilare iuuat, quis nosset Homerum?  
Ilias æternum si latuisset opus.

De casu & fortuna.

Casus ubiq; ualet, semper tibi pendeat hamus,  
Quo minime credis gurgite piscis erit.

Sepe canes frustra nemorosis montibus errant,  
Inq; plagas nullo ceruus agente cadit.

Vim vi repellere licet.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,  
Armaq; in armatos sumere iura sinunt.

Contra sæuitiam uultus & iram.

Pertinet

*Pertinet ad faciem rabidos compescere mores,  
Candida pax homines, trux decet ira feras.  
Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,  
Lumina Gorgonco sæuius anguæ micant.  
Poetica ars facit ad bonos mores.  
Adde quod insidie sacris à uatibus absunt,  
Et facit ad mores ars quoq; nostra bonos.  
Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi,  
Contempto colitur lectus & umbra foro.*

*In eandem sententiam.*

*Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,  
Et studio mores conuenienter cunt,  
Poetæ sunt diuino fauore afflati.  
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,  
Sedibus æthereis spiritus ille uenit,  
Aemulatio incitat.*

*Tunc benè fortis equus reserato carcere currit,  
Cum quos prætereat, quos uè sequatur habet.*

*Munera sunt grata.*

*Munera (crede mihi) placant hominesq; deosq;  
Placatur donis Iuppiter ipse datis.  
Quid faciat sapiens stultus quoq; munere gaudet,  
Ipse quoq; accepto munere mitis erit.  
Non est salutis propriæ aduersandum,  
Non auis aucupibus monstrat qua parte petatur,  
Non docet infestos currere cerua canes.*

*De gestibus ad mensam seruandis.*

*C*

*Carpe*

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,  
Ora nec immunda tota perunge manu.  
Neuè diu præsume dapes, sed desine citra:  
Quàm cupias, paulò quàm potes esse minus.

EX PRIMO LIBRO OVIDII

de remedio amoris.

Bona & mala nascuntur eadem terra.  
Terra salutiferas herbas, eademq; nocentes  
Nutrit & urticae proxima sæpe rosa est.  
Animus vitijs purgandus est.  
Vtile propositum sæuas extinguere flammās,  
Nec seruum vitijs pectus habere suum.  
Venienti morbo occurrendum est.  
Opprime dū noua sunt subiti mala semina morbi,  
Et tuus incipiens ire resistat equus.  
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uuas  
Et ualidas segetes quod fuit herba facit.  
Que præbet latas arbor spaciantibus umbras,  
Quo posita est primum tempore uirga fuit.  
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,  
Nunc stat in immensum uiribus aucta suis.

In eandem sententiam.

Quale sit id, quod amas, celeri circūspice mente,  
Et tua lesuro subtrahere colla iugo.  
Principijs obsta, sero medicina paratur,  
Cum mala per longas conualuere moras.  
Sed propera, nec te uenturas differ in horas,  
Qui non est hodie cras minus aptus erit.

Ex

Ex paruo principio res magna oritur.  
Flumina magna uides paruis de fontibus orta,  
Plurima collectis multiplicantur aquis.  
Curatio morbi non est differenda.  
Vidi ego quòd fuerat primo sanabile uulnus,  
Dilatatum longæ damna tulisse moræ.  
Furori cedendum est.  
Aut noua si possis, sedare incendia tentes,  
Aut ubi per uires procubuere suas.  
Dum furor in cursu est currenti cede furori,  
Difficiles aditus impetus omnis habet.  
Stultus, ab obliquo qui cum discedere possit,  
Pugnat in aduersas ire natator aquas.  
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,  
Respuit, atq; odio uerba monentis habet.

Tempore opportuno consolatio & medi-  
cina est adhibenda.

Quis matrem, nisi mentis imops in funere nati  
Flere uetat? non hoc illa monenda loco est.  
Cum dederit lachrymas animumq; impleuerit ea  
Ille dolor uerbis emoderandus crit. (grum,  
Temporibus medicina ualet, data tēpore profunt,  
Et data non apto tempore uina nocent.

Ex ocijs vitia proueniunt, & in primis  
fœdus amor.

Ocia si tollas, periêre cupidinis arcus,  
Contemptæq; iacent & sine luce faces.

C 2

Quam

Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus unda,  
Et quàm limosa canna palustris humo,  
Tam Venus oia amat finem qui quæris amori,  
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

In desidiam, aleam & remulentiam.  
Languor immodici nullo sub iudice somni,  
Alea; & multo tempora quassa mero,  
Eripiunt omnes animo sine uulnere uires,  
Affluit incautis insidiosus amor.

Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,  
Da uacue menti, quo teneatur opus.

In desidiam.

Queritur Ægisthus quare sit factus adulter,  
In promptu causa est, desidiosus erat.

De quatuor partibus anni.

Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas,  
Ver præbet flores, igne leuatur hyems.

Si pro salute corporis multa sufferimus,  
quanto libentius pro animi salute  
multa sufferre debemus.

Sæpe bibi succos quamuis inuitus amaros,  
Æger & oranti mensa negat mihi est.  
Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes,  
Arida nec sitiens ora leuabis aqua.  
Ut ualeas animo quicquam tolerare negabis,  
At precium pars hæc corpore maius habet.  
Malta sunt vicina bonis.

Et

Et mala sunt uicina bonis, errore sub ipso  
Pro uitio uirtus crimina sepe tulit.  
Summis uiris maligni inuident.  
Ingenium magni liuor detrastat Homeri,  
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.  
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,  
Pertulit huc uictos quo duce Troia Deos.  
Summa petit liuor perflant altissima uenti,  
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis.

EX SECVNDO LIBRO

Ouidij, de remedio amoris.

Parua non sunt contemnenda.  
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.  
Parua necat morsu spaciosum uipera taurum,  
A cane non magno sepe tenetur aper.  
Quod vni bonum, alteri malum videtur.  
Quo tua non possunt offendi pectora facta,  
Forsitan hoc alio iudice crimen erit.  
Diuisio rem attenuat.  
Grandia per multos tenuantur flumina riuos,  
Magnaq; subducto stipite flamma perit.  
Amor diuisus est minor.  
Parcius è multis mater desiderat unum,  
Quàm quæ flens clamat, tu mihi solus eras.  
Non omnium æquè facilis est sanatio.  
Corpora uix ferro quædam sanantur acuto,  
Auxilium multis succus & herba fuit.

**Cui plus timet mater, eum plus solet  
amare.**

*Plus amat è natis mater plerumq; duobus,  
Pro cuius reditu quod gerit arma timet.*

**Contagia sunt vitanda.**

*Si quid amas, nec vis facias contagia uites,  
Hec etiam pecori sepe nocere solent.*

*Dum spectant lesos oculi, læduntur & ipsi,  
Multaq; corporibus transitione nocent.*

*In loca nonnunquam siccis arentia glebis,  
De prope currenti flumine manat aqua.*

**Obiecta mouent potentias**

*Non facile esuriens posita retinere mensa,  
Et multum saliens incitat unda sitim.*

*Non facile est taurum uisa retinere iuuenca,  
Fortis equus uisa semper adhinuit equa.*

**Quod repetente attollitur, non est  
diuturnum.**

*Flumine perpetuo torrens solet altius ire,  
Sed tamen hæc breuis est, illa perennis aqua.*

**Fletus fœminarum fallax.**

*Ncucè puellarum lachrymis moueare caueto,  
Ut flerent oculos crudière suos.*

**Chorea reddunt animum effœminatam.**

*Eneruant animos citharæ, cantusq; lyreq;  
Et uox & numeris brachia mota suis.*

**Eiusdem rei diuersi sunt usus.**

*Nutritur uento, uento restinguitur ignis,  
Lenis alit flammam, grandior aura necat.*

**Ex**



EX PRIMO LIBRO  
Fastorum Ouidij.

Die festo preces dicendæ sunt.

Prospera lux oritur, linguis animisq; fauete,  
Nunc dicenda bona sunt bona uerba die.  
Lite uacent aures, insanaq; protinus absint  
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

In immensum excrcuit auaritia.

Tēpore creuit amor qui nunc est summus habendi  
Vix ultra quo iam progrediatur habet.  
Pluris opes nūc sunt, quā prisci temporis annis,  
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.

In eandem sententiam.

Creuerunt & opes & opum furiosa cupido,  
Et possideant plurima, plura petunt.  
Querere ut absumāt, absumpta requirere certā,  
Atq; ipse uitij sunt alimenta uices.  
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,  
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.  
In precio precium nunc est, dat census honores,  
Census amicitias, pauper ubiq; iacet.

Sperat quisq; aut timer, pro conscientia  
sua qualitate.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra  
Pectora, pro facto spemq; metumq; suo.  
Vir excelsi animi non frangitur exilio.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,  
Vt uolucris uacuo quicquid in orbe patet.  
Pax frumenta largitur.  
Sub iuga bos ueniat, sub terras semen aratas,  
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.

EX TERTIO LIBRO  
Fastorum Ouidij.

Nuptiæ nonnunquam sunt differendæ.  
Nubere si qua uoles, quamuis properabitis ambo,  
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

EX QUARTO LIBRO  
Fastorum Ouidij.

De uerno tempore.

Vere nitent terræ, uere remissus ager,  
Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt,  
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.  
Bona conscientia nullius oculos fugit.  
Conscia mens recti famæ mendacia ridet,  
Sed nos in uitium credula turba sumus.  
Noctæ latent colores.  
Iam color unus inest rebus, tenebrisq; teguntur  
Omnia, iam uigiles credula turba sumus.  
Deus auertit bella.  
Sarcula nunc durusq; bidens & uomer aduncus,  
Ruris opes niteant, inquinet arma situs.

Conatusq;

Conatusq; aliquis uagina educere ferrum,  
Astrictum longa sentiat esse mora.

EX QUINTO LIBRO  
Fastorum Ouidij.

Senibus honor deferendus est.  
Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,  
Inq; suo precio ruga senilis erat.  
Martis opus iuuenes animosq; bella gerbant,  
Et pro Dijs aderant in statione suis.  
Viribus illi minor nec habendis utilis armis  
Consilio patriæ sæpe ferebat opem.  
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,  
Nomen & ætatis mite senatus habet.  
Iura dabat populo senior, finitaq; certis  
Legibus est ætas, unde petatur honos.  
Et medius iuuenum non indignantibus ipsis  
Ibat & interior si comes unus erat.  
Verba quis auderet coram sene digna rubore  
Dicere? censuram longa senectæ dabat,  
Romulus hoc uidit selectaq; corpora patres  
Dixit, ad hos urbis summa relata nouæ est.  
In floribus maxima spes est prouentuum.  
Si benè floruerint segetes, erit area diues.  
Si benè floruerit uinea Bacchus erit.  
Si benè floruerint oleæ nitidissimus annus,  
Poma quoq; euentum temporis huius habent.

C 5

Flore

*Flore simul leso pereunt uitiaq; fabaq;  
Et pereunt lentes aduena Nile tuæ.*

EX SEXTO LIBRO  
*Fastorum Ouidij.*

*Non semper læta iuuant.  
Scilicet interdum miscentur tristia lætis,  
Nec populum toto pectore festa iuuant.  
De officio iudicis.  
Sic agitur censura, & sic exempla parantur,  
Cum iudex alios quod monet ipse facit.  
Tempus celerrimè præterit.  
Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,  
Et fugiunt freno non remorante dies.*

EX PRIMO LIBRO ELEGIA-  
*rum Ouidij de tristibus.*

*Expertus pericula facilè expauescit.  
Terretur minimo penne stridore columba,  
Vnguibus accipiter saucia facta tuis.  
Non procul à stabulis audet discedere, si qua  
Excussa est auidi dentibus agna lupi.  
Vitaret coelum Phaëton si uiueret, & quos  
Optauit stultè, tangere nollet equos.  
Tempore aduersitatis probatur amicus.  
Thesea Perithous non tam sensisset amicum,  
Si non infernas uiuus adisset aquas.*

Vt foret exemplum ueri Phocæus amoris,  
Fecerunt Furie tristis Oreste tuæ.  
Si non Eurialus Rutilos cecidisset in hostes  
Hyrtacydæ Nisi, gloria nulla foret.  
Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,  
Tempore sic duro est inspicienda fides.  
Cum fortuna mutantur amici.  
Dum iuuat & uultu ridet fortuna sereno,  
Indelibatas cuncta sequuntur opes.  
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli  
Agnimibus comitum qui modo cinctus erat.

In eandem sententiam.

Donec eris felix multos numerabis amicos,  
Tempora si fuerint, nubila, solus eris.  
Aspicis ut ueniant ad candida tecta columbæ,  
Accipiat nullas sordida turris aues.  
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,  
Nullus ad amissas ibit amicus opes.  
Vtq; comes radios per solis euntibus umbra est,  
Cum latet hic pressus nubibus illa fugit.  
Mobile sic sequitur fortunæ lumina uulgus,  
Quæ simul inducta nube teguntur abit.

EX SECVNDO LIBRO  
Elegiarum Ouidij.

De clementia ab exemplo Dei.

Si quis

*Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat  
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

*Nunc ubi detonuit strepituq; exterruit orbem,  
Purum discussis aëra reddit aquis.*

*Deus parua munuscula non spernit.  
Sed tamen ut fuso taurorum sanguine centum,  
Sic capitur minimo thuris honore Deus.*

*Nemo desperet meliora lapsis.  
Sed solet interdum fieri placabile numen,  
Nube solet pulsa candidus ire dies.*

*Vidi ego pampineis oreratam vitibus ulmum,  
Que fuerat seuo fulmine tacta Iouis.*

*Nihil prodest, quod non lædere possit idem.  
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta  
Comparat, audaces instruit igne manus.*

*Eripit interdum modo dat medicina salutem,  
Queq; iuuet monstrat, queq; sit herba nocens.*

*Et latro & cantus præcingitur ense uiator,  
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.*

*Discitur innocuas ut agat facundia causas,  
Protegit hæc fontes immeritosq; premit.*

*Idoneus ad parua non tentet temerè  
maiora.*

*Non ideo debet pelago se credere, si qua  
Audeat exiguo ludere cymba lacu.*

**EX III. LIBRO ELEGIARVM**  
*Ouidij de tristibus.*

Magno



Magnorum virorum consuetudo fugienda,  
Vt sibi edocto si quicquam credis amico,  
Viuet tibi, & longè nomina magna fuge.  
Viue tibi quantumq; potes, prælustria uita,  
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.  
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,  
Non profunt, potius plurimum obesse solent.  
Effugit bybernas demissa antenna procellas,  
Lataq; plus paruis uela timoris habent.  
Aspicias ut summa cortex leuis innatat unda,  
Cum graue nexa simul retia mergat onus.

Fuge nimis alta.

Qui cadit in plano, uix hoc tamen euenit ipsum,  
Sic cadit ut tacta surgere possit humo,  
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,  
Occurrit regi flebilis umbra suo.  
Quid fuit, ut tutas agitarct Dædalus alas,  
Icarus immensas nomine signet aquas?  
Nempe quod hic altè, demissus illa uolabat,  
Nam pennas ambo non habuere suas.  
Crede mihi, benè qui latuit, benè uixit, & intrá  
Fortunam debet quisq; manere suam.

In eandem sententiam.

Tu quoq; formida nimium sublimia semper,  
Propositiq; precor contrahere uela tui.  
In eandem sententiam.

Viue;

Vive sine invidia, molesq; inglorius annos  
Exige, amicitias & tibi iunge pares.  
Princeps sunt rusticis clementiores.  
Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,  
Et faciles motus mens generosa capit.  
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,  
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.  
At lupus & turpes instant morientibus ursi,  
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.  
Maius apud Troiam forti quid habemus Achille?  
Dardanij lachrymas non tulit ille senis.  
Quæ duces Emathij fuerit clementia, Pharos,  
Præclariq; docent funeris exequiæ.

Præter animi bona omnia subiacent for-  
tunæ.

Nempe dat & quodcunq; libet fortuna rapitq;  
Irus & est subito, qui modo Croesus erat.  
Singula quid referam, nil non mortale tenemus,  
Pectoris exceptis ingenijq; bonis.

De atrocitate militum.

Quæ nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt,  
Et cremat insontes hostica turba casas.

Res lapsæ facile premuntur.

In causa facili cuius licet esse diserto,  
Et minimæ vires frangere quassa ualent.  
Subruere est arces & stantia moenia uirtus,  
Quilibet ignavi præcipitata premunt.

Esto



Esto memor humanæ fortis.  
Humanæq; memor sortis quæ tollit eosdem,  
Et premit incertas ipse uerere uices.

**EX III. LIBRO ELEGIARVM**

Ouidij de tristibus.

Cantus fallit laborem.

Fessus ut incubuit baculo saxoq; resedit  
Pastor, arundineo carmine mulcet oues.  
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis,  
Fallitur ancillæ decipiturq; labor.

Miserum est semper timere hostium  
insultationes.

Quam miserum porta uitam muroq; tueri,  
Vixq; sui tutum uiribus esse loci.

Virtus versatur circa difficilia.

Ardua per præceps gloria uadit iter.  
Hæctora quis nosset fœlix si Troia fuisset?  
Publica uirtutis per mala facta uia est.  
Ars tua Tiphys iacet, si non sit in æquore fluctus,  
Si ualeant homines, ars tua Phœbe iacet.  
Quæ latet inq; bonis cessat non cognita rebus,  
Apparet uirtus, arguiturq; malis.

De vi temporis.

Tempore ruriculæ patiens fit taurus aratri,  
Præbet & incuruo colla premenda iugo.  
Tempore paret equus lentis animosus habenis,  
Et placido duros accipit ore lupos.

Tempus

Tempore Pœnorum compefcitur ira leonum,  
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.  
Quæq; fui iuffis obtemperat Inda magiftri  
Belua, feruitium tempore uicta fubit.  
Tempus, ut extentis tumeat facit una racemis  
Vixq; merum capiant grana, quod intus habêt.  
Tempus & in canas fermen producit ariftas,  
Et ne fint trifti poma fapore facit.  
Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri,  
Hoc rigidos filices, hoc adamanta terit.  
Hoc etiam feuas paulatim mitigat iras,  
Hoc minuit luctus mœftaq; corda leuat.  
Noua funt veteribus & detritis meliora.  
Fortior in fulua nouus eſt luctator arena,  
Quàm cui funt tarda brachia feffa mora.  
Integer & melior nitidis gladiator arenis,  
Quàm cui tela fuo fanguine timêta rubent.  
Fert bene præcipites nauis modo facta procellas,  
Quàm libet exiguo foluitur imbre uctus.  
In ſeneçtute ceſſandum eſt à laboribus.  
In caua ducuntur quaſſæ noualia puppes,  
Ne temerè in medijs diſſoluantur aquis.  
Ne cadat & multas palmas inhoneſtet adeptas,  
Languidus in pratis gramina carpit equus.  
Miles ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,  
Ponit ad antiquos quæ tulit arma leres.

Omnia ſunt Deo ſubieccta.

Nil

Nil adeò ualidum est, adamas licet alliget illud,  
Vt maneat rapido firmitus igne Iouis.  
Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,  
Non sit ut inferius suppositumq; Deo,

EX QUINTO LIBRO ELE  
giarum Ouidij de tristibus.

Virtus exercita est laudabilis.  
Scilicet aduersis probitas exercita rebus,  
Tristi materiam tempore laudis habet.  
Si nihil infesti durus uidisset Vlysses,  
Penelope foelix, sed sine laude foret.

De fortunæ instabilitate.

Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,  
Nunc mendicato pascitur ille cibo,  
Passibus ambiguis fortuna uolubilis errat,  
Et manet in nullo carta tenaxq; loco.  
Sed modo leta manet, uultus sumit acerbos,  
Et tantum constans in leuitate sua est.  
Nos quoq; floruimus, sed flos fuit ille caducus,  
Flammaq; de stipula nostra breuisq; fuit.

In anno plures sunt dies sereni quàm  
nubili.

Si numeres anno soles & nubila toto,  
Inuenies nitidum sæpius esse diem.

De intercepti studij iactura,  
Adde quod ingenium longa rubigine lesum  
Torpet & est multo, quàm fuit ante, minus.

D

Fertilis

Fertilis, assiduo si non renouetur aratro,  
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.  
Tempore qui longo steterit, malè currit, & inter  
Carceribus missos ultimus ibit equus.  
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,  
Si qua diu solitis cymba uacabit aquis.  
Laus excitar ingenium.  
Deniq; non paruas animo dat gloria uires,  
Et facunda facit pectora laudis amor.  
De fortunæ patientia.  
Rara quidem est uirtus, quam non fortuna guberna  
Que maneat stabili, cum fugit illa, pcede. (nat  
Qui monet agentem laudat.  
Qui monet ut facias, quod iam facis, ille monendo  
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

EX PRIMO LIBRO EPISTO  
larum Ouidij de Ponto.

Non omnis morbus est sanabilis.  
Non est in medico, semper releuctur ut aeger,  
Interdum docta plus ualet arte malum.  
Cernis, ut è molli sanguis pulmone remissus,  
Ad stygias certo limite ducat aquas.  
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,  
Sannabit nulla uulnera cordis ope.  
Tollere nodosam nescit medicina podagram,  
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Patriæ

**Patriæ amor omnes detinet.**  
Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat,  
Fumum de patrijs posse uidere focis.  
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non sinit esse sui.  
Quid melius Roma: Scythico quid frigore peius:  
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.  
Cum benè sint clausæ cauea Pandione natæ,  
Nititur in syluas quæq; redire suas.  
Assuetos tauri saltus, assueta leones  
Nec feritas illos impedit) antra pedunt.

**Afsiduis laboribus res quantumlibet firma fatigatur.**

Cernis ut in duris ( & quid bona firmitus) aruis  
Fortia taurorum corpora frangat opus.  
Quæ nunquam uacuo solita est cessare nouali,  
Fructibus afsiduis lassæ senescit humus.  
Occidet, ad circi si quis certamina semper  
Non intermissis cursibus ibit equus.  
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,  
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.  
Interdum quiescendum est.  
Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,  
Immodicus contra carpit utrumq; labor.

**Contra torporem.**

Cernis ut ignauum corrumpant ocia corpus,  
Ut capiant uitium ni moueantur aquæ.

Sua quemq; studia delectant.  
Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum,  
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.  
Saucius euitat pugnam gladiator, & idem  
Immemor antiqui uulneris arma capit.  
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,  
Et ducit remos, qua modo nauit aqua.

De spe.

Hec Dea, cum fugerent sceleratas numina terras,  
In Dijs inuisa sola remansit humo.  
Hec facit ut uiuat fossor quoq; compede uinctus,  
Liberaq; á ferro crura futura putet.  
Hec facit, ut uideat cum terras undiq; nullas,  
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.  
Sepe aliquem solers medicorum cura reliquit,  
Nec spes huic uena deficiente cadit.  
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,  
Atq; aliquis pendens in cruce uota facit?  
Hec Dea quàm multos laqueo sua colla ligantes  
Non est proposita passa perire nece?  
Magna spes est in clementia Dei.  
Quamuis est igitur meritis indebita nostris,  
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

EX SECVNDO LIBRO  
Ouidij, de Ponto.

Festis diebus gaudendum est.

Dij

Dij quoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,  
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Non est desperandum.

Confugit interdum templi uiolator ad aram,  
Nec petere offensi numinis horret opem.

De falsa vulgi amicitia.

Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur,  
Vulgus amicitias utilitate probat.

Cura quid expediat prior est, quàm quid sit hone-  
Et cum fortuna statq; caditq; fides. (stum

Nec facile inuenies multis in millibus unum,  
Virtutem precium qui putet esse sui.

Ipsc decor recti, facti si præmia desint,  
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.

Nihil nisi quod prodest carum est, en detrahe mēti  
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.

At reditus iam quisq; suos amat, & sibi quid sit  
Vtile, sollicitis computat articulis.

Illud amicitie quondam uenerabile nomen  
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

Soli fortunati amantur.

Diligitur nemo nisi cui fortuna secunda est,  
Quæ semel intonuit, proxima quæq; fugat.

En ego non paucis quondam munitus amicis,  
Dum flauit uclis aura secunda meis.

Vt fera nimbofa tumuerunt æquora uento,  
In medijs lacera naue relinquor aquis.

D 3

Similia

**Similia similibus fauent.**

Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis,  
Et seruat studij fœdera quisq; sui  
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,  
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

**Confilium post facta est inutile.**

Cum poteram rectam transire Ceraunia uelo,  
Ut fera uitarem saxa monendus eram.  
Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto,  
Qua mea debuerit currere cymba uia?  
Turpe est, rebus aduersis amicum deserere.  
Turpe erit in miseris ueteri tibi rebus amico,  
Auxilium nulla parte tulisse tuum.  
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci,  
Turpe laborantem deseruisse ratem.  
Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum,  
Et nisi sit fœlix esse negare suum.

**Pericula expertus, facile terretur.**

Tranquillas etiam naufragus horret aquas.  
Qui semel est lesus fallaci piscis ab hamo,  
Omnibus unca cibus æra subesse putat.  
Sepe canem uisum longè fugit agna, lupumq;  
Credidit, & ipsa suum nescia uitat opem.  
Membra reformidant mollem quoq; saucia tactū,  
Vanaq; sollicitis incitat umbra metum.

**In audiendis precibus optimè spe-  
ctatur potentia.**

Conspia



Conspicitur nunquam meliore potentia causa,  
Quam quoties uanas non sinit esse preces.  
Hominem homini opem ferre decet.  
Conueniens hominum est, hominem seruare uolua  
Et melius nulla queritur arte fauor. (ptas,  
Quis non Antiphaten Lestrygona deuouet? aut  
Munifici mores improbet Alcinoi? (quis  
Stadium facit humanum.  
Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,  
Emollit mores, nec sinit esse feros.  
Adhortatio prodest.  
Acer & ad palmae per se cursurus honores,  
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

EX TERTIO LIBRO  
Epistolarum Ouidij de Ponto.

Deus non mox semper exaudit.  
Non semper sacras reddunt oracula sortes,  
Ipsaq; non omni tempore fana patent.

Vicinis pereuntibus etiam tremur.  
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent,  
Iunctaq; percusso turba pauere solet.  
Cumq; dedit paries uenturae signa ruinae,  
Sollicito uacuis fit locus ille metu.  
Quis non e timidis aegri contagia uitat,  
Vicinum metuens ne trahat inde malum?  
Honesti acta post mortem superi sunt.

Corpora debentur mœstis exanguia bustis,  
Effugiunt structos nomen honosq; rogos.  
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem,  
Sed tamen in laudes uiuit uterq; suas.

Contra inuidiam.

Liuor iners uitium, mores non exit in altos,  
Vtq; latens ima uipera serpit humo.  
Non opus est bene habentibus medicus.  
Firma ualent per se, nullumq; Machaona querunt  
Ad medicam dubius confugit aeger opem.  
Nouitas omnium rerum gratissima est.  
Est quoq; cunctarum nouitas gratissima rerum,  
Gratiaq; officio, quod mora tardat abest.  
Post mortem auctoris scripta magis placent.  
Scripta placent à morte ferè, quia ledere uiuos  
Liuor, & inuiso carpere dente solet.

Bona uoluntas est laudanda.

Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas,  
Hac ego contentos auguror esse Deos.  
Hec facit ut ueniat pauper quoq; gratus ad aras,  
Et placeat cæso non minus agna boue.  
Res gratior est, ubi oritur & abundat.  
Nam quanquam sapor est ablata dulcis in unda,  
Gratius ex ipso fonte bibuntur aque.  
Et magis adducto pomum decerpere ramo,  
Quàm de cælata sumere lance iuuat.

De clementia Dei.

Crede

*Crede mihi miseris coelestia numina parcunt,  
Non semper laesos & sine fine premunt.  
Quod non est assuetum, laborem recusat.  
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,  
Subtrahit & duro colla nouella iugo.  
Quaedam vulnera curando fiunt maiora.  
Curando fieri quaedam maiora uidemus  
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.  
Cita mors præstat.  
Mitius ille perit subita qui mergitur unda,  
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.  
Aliud est sentire, aliud tollere morbum.  
Non eadem ratio est sentire, & demere morbos,  
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.  
Corrigere opus maius est, quàm scribere.  
Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem,  
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.  
Corrigere at res est tantò magis ardua, quanto  
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.*

**EX QUARTO LIBRO**  
Ouidij, de Ponto.

*Virtus laudata crescit.  
Excitat auditor studium, laudataq; uirtus  
Crescit & immensum gloria calcar habet.  
De fragilitate rerum humanarum.  
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,  
Et subito casu quæ ualuere ruunt.*

D 5

In

*In eandem sententiam.*

*Ludit in humanis diuina potentia rebus,  
Et certam praesens uix habet hora fidem.*

*Nihil est adeo miserum, ut non ex aliqua  
parte releuetur.*

*Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,  
Non intermissis ut fluat imber aquis.*

*Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo  
Mista ferè duris utilis herba rubis,*

*Nil adeo fortuna grauis miserabile fecit,  
Ut minuant nulla gaudia parte malum.*

*Qui tantum dat, quantum potest, satis  
gratus est.*

*Sed qui quam potuit, dat maxima, gratus abundè  
Et finem pietas contigit illa suum, (est,*

*Nec quæ de parua pauper Dis libat acerra,  
Thura minus, grandi quam data lance, iuuant,  
De vi carminis.*

*Carmine fit uiuax uirtus, expersq; sepulchri,  
Notitiam ueræ posteritatis habet.*

*De vi temporis.*

*Tabida consumit ferrum lapidemq; uetustas,  
Nullaq; res maius tempore robur habet.*

*De vi usus.*

*Gutta cauat lapidem, consumitur annulus usu,  
Et teritur pressa uomer aduncus humo.*

*Facile est, uolenti alterum amare.*

*Sed*

*Sed præstandus amor, res non onerosa uolenti,  
Quis labor est puram non temerasse fidem?  
Certo tempore homines sunt con-*  
solandi

*Temporis officium solatia dicere certi est,  
Dum dolor in cursu est dum petit æger opem.  
At cum longa dies sedauit uulnera mentis,  
Intempestiuè qui mouet illa, nouat.*

*Tam mala, quam bona sunt insignia  
& famosa.  
Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,  
Quam pulchra Nereus conspiciendus erat.*

EX CONSOLATIONE

*Ouidij, ad Liuiam.*

*Omnibus moriendum est.  
Fata manent omneis, omneis expectat auarus  
Portitor, & turbæ uix satis una ratis.  
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unã,  
Omnia sub leges mors uocat atra suas.*

FINIS selectorum uersuum.

PETRVS CAVCONIVS AD PVE  
rum literarum studiosum.

*Qui cupis ex dulci tibiserta parare uireto,  
Hinc uarios flores accipe chare puer.*

EX

EX Q. HORATIO FLACCO

Ode secunda, libri secundi, ad  
Crispum Salustium.

De fugienda auaritia.

**N**illus argento color est auaris  
Abdito terris inimice flammæ  
Crispe Salusti, nisi temperato  
splendeat usu.

Viuct extento Proculcius æuo,  
Notus in fratres animi paterni,  
Illum aget penna metuente solui  
Fama superstes.

Latius regnes auidum domando  
Spiritus, quàm si Lybiam remotis  
Gaudibus iungas, & uterq; Poenus  
Seruiat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,  
Nec sitim pellit, nisi causa morbi  
Fugerit uenis, & aquosus albo  
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraoten  
Disfidens plebi, numero beatorum  
Eximit uirtus, populumq; falsis  
Dedocet uti.

Vocibus, regnum, & diadema tutum  
Deferens uni, propriamq; laurum  
Quisquis ingenteis oculo irretorto  
Spectat aceruos.

Eiusdem

EIVSDEM HORATII ODE X.

Libro II. ad Lycinium.

De seruanda mediocritate.

**R**ectius uiues Lycini, neq; altum  
Semper urgendo, neq; dum procellas  
Cautus horrescis, nimium premendo  
Littus iniquum.

Aurcam quisquis mediocritatem  
Diligit, tutus caret obsoleti  
Sordibus tecti, caret inuidenda  
Sobrius aula.

Pinus, & celsæ grauiore casu  
Decidunt turres, feriuntq; summos  
Fulmina monteis.

Sperat infestis, metuit secundis  
Alteram sortem bene præparatum  
Pectus, informeis hyemis reducit  
Iuppiter idem.

Submouet, non, si male nunc, & olim  
Sic erit, quondam cythara tacentem  
Suscitat Musam, neq; semper arcum  
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus, atq;  
Fortis appare, sapienter idem  
Contrahes uento nimium secundo  
Turgida uelâs

EX EODEM ODE XVI. LIBRI  
secundi, ad Grossphum.

De Ocio.

**O**cium diuos rogat in patenti  
Prensus Ægeō, simul atra nubes  
Condedit lunam, neq; certa fulgent  
Sidera nautis.

Ocium bello furiosa Thrace,  
Ocium Medi pharetra decori,  
Grossphe non gemmis, neq; purpura uenale,  
nec auro.

Non enim gaze, neq; consularis  
Summouct lictor miseros tumultus  
Mentis, & curas laqueata circum  
Tecta uolanteis.

Viuitur paruo benè cui paternum  
Splendet in mensa tenui salinum,  
Nec leueis somnos timor, aut cupido  
Sordibus aufert.

Quid breui fortes iaculamur æuò  
Multa? quid terras alio calentes  
Sole mutamus? patriæ quis exul  
Se quoq; fugit?

Scandit æratas uitiosa naueis  
Cura, nec turbas equitum relinquit,  
Ocyor ceruis, & agente nimbos  
Ocyor Euro.

Letus



Lætus in præsens animus, quod ultra est  
Oderit curare, & amara lento  
Temperet risu. Nihil est ab omni  
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,  
Longa Tithonum minuit senectus,  
Et mihi forsân, tibi quod negarit,  
Porriget hora.

Te greges centum, Siculæq; circum  
Mugiunt uaccae, tibi tollit hinnitum  
Apta quadrigis equa, te bis Afro  
Muricæ tinctæ.

Vestiunt lanæ, mihi parua rura, &  
Spiritus Graiæ tenuem Camœnæ.  
Parca non mendax dedit, & magnam  
Spernere uulgus.

F I N I S.

110  
 55  
 550  
 6050  
 28.  
 28.  
 214f.

In wo e da f y g i o

~~[Faded handwritten text and musical notation]~~

214f. 28. 11.  
 594  
 1008  
 5042  
 6050

28.  
 28.  
 (99)



Cl 860<sup>a</sup>

ULB Halle


3

004 833 309



nicht vermerkt





4  
**LOCI COMMUNES SENTENTI.**

OSORVM VERSVVM EX ELE-  
*gijs Tibulli, Propertij &  
Ouidij.*

*A IOHANNES MVR-*  
*mellio diligenter collecti.*



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM,  
IN OFFICINA IOHANNIS  
EICHORNI.

old 492

